



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

§ 4. Imperatorum Austriacorum Decreta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

quibus clarè & luculentis terminis libertatem & Iura dicti Monasterij statuunt, declarant ac confirmant, quemadmodum & consequentes Pontifices præstiterunt. Gregorius X. Urbanus V. Martinus V. Bullis suis quæ hodieque seruantur in Originali.

Porro controuersiam tam solemniter ab Ottone M. decisam post ducentos pene Annos suscitauit Albero Archiepiscopus Treuirensis, qui cum omnia apud Conradum III. Imperatorem, quem ad coronam Imperij promouerat, posset, facillè Rescriptum contra S. Maximini Abbatiam ab eodem Imperatore obtinuisset dicitur, eius autographum siue Originale nunquam visum fuit, sed exemplum duntaxat multis subreptionis alijsq; defectibus laborans, quod in libello sub lit. C. videri poterit, uti & sequenti parte, ubi refutabitur. Cuius quidem subreptitiæ impetrationis prætextu Abbas & Conuentus innumeris malis & oppugnationibus ab Alberone fuit molestatus, quibus tamen non cessit, sed in sui Iuris Tutitione persistit, & tam facto suo, quam succedentium Imperatorum decretis & auxilijs Statum suum Iuraque pristina conseruauit, de quibus omnibus plura dicentur parte sequenti.

Itaque Fridericus Barbarossa Imperator, melius informatus de Monasterij nostri Iuribus, illud in eo statu ac bonis esse & permanere inuolabiliter iussit quæ olim à S. Henrico Imperatore ei fuerant relicta, eius Diploma habes sub Numero 34.

Conrardus deinde Rom. Rex Friderici Imperatoris Filius, Abbatem & Conuentum in peculiarem suam suscepit protectionem, idque tanquam fideles, hoc est, Vassallos & Subditos S. Roman. Imperij, ut indicat eius Diploma sub Numero 35.

Rudolphus I. gloriosissimus Imperator plus etiam præstitit, dum Diplomate suo omnia Iura, priuilegia, libertates, concessionem, donationes ab omnibus prædecessoribus suis Imperatoribus ipsis factas innouando confirmauit, quod Diploma habes Num. 36. Dum item Henrico Comiti Luxemburgensi, Henrici VII. parenti Rescripsit, ut præfatum Monasterium eiusq; Iura omnia tueretur, defenderet ac protegeret, extat illud Rescriptum sub Num. 37.

Carolus IV. & Wenceslao Fratri Aduocato Iura S. Maximini tuenda & defendenda ex officio commendauit, ut exhibetur sub Num. 38. & pridem concessa ab Imperatoribus priuilegia & exemptiones confirmauit Num. 39. & 40. Idem fecerunt Wenceslaus & Sigismundus Imperatores, ut legere poteris in eorum Diplomatis sub Num. 41. 42. & Num. 45.

S. 4. *Imperatorum Austriacorum Decreta.*

EXcellentissima Augustæ Austriacæ familiæ pietas toto orbe nota erga Sacram S. Maximini familiam quàm maximè eluxit, illam tanquam membrum Insigne & Illustrem Romani Imperij Statum studiosè conseruauit ac protexit.

De Rudolpho I. iam dictum est ordine temporis id ita exigente.

Fridericus IV. Diplomate Francofurti dato sub Num. 47. omnia dicti Monasterij Iura, eiusque immediatam Imperio subiectionem agnouit, illudque speciale domicilium Imperij ac reseruatam Imperio Cameram extitisse & esse declarauit. Quin etiam pro tali habere dignatus est, quando cum Carolo Burgundiæ Duce felicissimi connubii illo in loco fundamenta iecit.

Maximilianus I. auita & paterna sectatus vestigia, similiter eadem Iura am-

plissimè confirmavit, & Luxemburgensibus suis, multorum sæculorum Aduocatum curæ esse iussit in Diplomate quod N. 61. exhibetur, in quo plurima S. Maximini Diplomata ad verbum inserta sunt, quæ suis oculis coram in Originali ab Abbate exhibita non sine magno animi sensu vidit, cum tot ei maiorum suorum, eaque antiquissimæ Imperatorum effigies in Sigillis apparerent.

Carolus V. magnus ille Cæsar, initio statim Imperii sui S. Maximini Iura & priuilegia innouauit & confirmavit, vt habes sub N. 62. Et quanti faceret conseruationem nobilissimi & antiquissimi illius Cœnobii, clarè testatus est geminis literis datis Wallisoleto ad Archiepiscopum Treuirensẽ, & ad Imperii Vicarium Ferdinandum Regem, ac Consilium Cæsareum, quas habes sub Num. 64. quibus palàm declarat dictum Monasterium à maioribus suis S. Rom. Imperii Cæsaribus conditum, ideoque tam sibi quàm Pontifici summo immediate & nulli alteri subiectum. Verba eius sonant. *Die weil dasselbig Gotteshaus von Unserm Vorfahren am Heiligen Reich Römischen Käysern gestiftet vnd deshalben Vno vnd Päpstlicher Heiligkeit ohne alle mittel vnd sonst niemant vnderworfen.* Iubet itaque sacrum illum locum violento tempore Sickinganæ obsidionis à Treuirensibus euersum restaurari, quod maculam gloriæ suæ inurendam vereretur, si tale & tam Illustre antiquitatis monumentum & Imperii membrum se imperante extingueretur. Vnde Archiepiscopum Richardum iubet pecuniam quam à Vincentio Abbate contra fas acceperat illico restituere, quod & factum.

Similia allegat idem Imperator in Epistola ad Adrianum Pontificem Maximum directâ sub Num. 65. in qua insuper grauitè & magnis de causis interpellat S. suam, ne patiatur tam insigne Imperatorum monumentum, à tot sæculis sub tutela maiorum suorum defensum & conseruatum mensæ Archiepiscopi Treuirensis incorporari vel vniri, petitque, si quid tale concessum foret, illico reuocari ac cassari.

Et quantopere ea res eura fuerit tum Cæsareæ Maiestati, tum Vicario eius in Imperio Ferdinando Regi, patet ex quaternis eius epistolis ad Clementem VII. Ducem Suefanum Cæsaris Oratorem, ad D. Datarium, ad M. Petrum de Salamanca, quæ Num. 66. sub litt. A. B. C. D. exhibentur, vbi ex iisdem fundamentis & mandato Cæsaris Ferdinandus Rex instanter omnibus modis sollicitat, ne effectum prætenfa vnio sortiatur, in quibus tacitè pertransiri non debet, quod in fine epistolæ ad Petrum de Salamanca indicatur, quod Philippus Marchio Badensis (Gubernator Luxemburgensis) ex mandato sibi à Cæsareæ Maiestate expressè factò, nequaquam passurus sit præfato Archiepiscopo, Etiam si Monasterium impetrârît à S. Sede eius tradi possessionem.

Ferdinandus I. Imperator piissimus expediuit Norimbergæ nomine Caroli Cæsaris, cuius erat tunc in Imperio Vicarius confirmationem Iurium S. Maximini in amplissima forma, singulis dicti Monasterii Diplomatis ad verbum insertis, & nominatim vsu & cultura mineralium ei addito, habes illud Num. 67. Eiusdem Cæsaris nomine plures dedit Epistolas ad Archiepiscopum Richardum, ad Abbatem Vincentium, ad Ciuitatem Treuirensẽ, quas habes Num. 68. sub litt. A. B. C. quibus reparationem & instauracionem dicti Monasterii à Constantino Magno & S. Helena conditi, seriò commendat & promouet.

Maximilianus II. similiter omnia Iura præfati Monasterii recognouit, approbavit, confirmavit, vt est sub Num. 75.

Rudolphus II. idem præstitit sub Num. 76.

Ferdinandus II. gloriosissimæ memoriæ Imperator, in quo Numinis fauor vniuersam Augustissimæ familiæ Austriacæ Clementiam ac pietatem orbi ter-

rarum

rarum vno velut compendio spectandam proposuit, inter tot Imperii motus Cæsaream curam ac Vigilantiam in conseruando S. Maximini Monasterio deesse non est passus.

Dum Abbatem modernum Agritium, Priorem, Conuentum ac omnes eius ditiones, in peculiarem suam protectionem recepit, vti exhibetur N. 84.

Dum eiusdem sacri loci, quem Illustre Imperatorum ac Maiorum suorum, & antiquissimum monumentum agnouit, iura omnia confirmauit vti habes sub Nu. 86. vbi peculiariter id quod pridem ab Ottone Magno alijsque Imperatoribus concessum fuerat, confirmat vt modernus Abbas Agritius eiusque Successores Titulo Archicapellani Romanorum Imperatricis gaudeat ac vtatur aliaque peculiaria priuilegia referre & concedere est dignatus.

Dum item ex singulari affectu & cura Monasterij vetustate, & auita Religione celeberrimi, vti loquitur, eius conseruationem, defensionem ac protectionem aduersus quascunq; molestias aut perturbationes Philippo IV. Hispaniarum Regi Catholico tanquam Duci Luxemburgensi eiusdem sacri loci & Iurium inde dependentium Aduocato & Protectori commendauit, ab eoq; conseruari præcipiendo mandauit, vt videre est Nu. 87.

Dum denique ab eo, eiusque supremo Consilio Aulico sententia lata est, per quam in Iudicio contradictorio, quæstio tunc iterum mota de subiectione immediata dicti sacri loci in possessorio est decisa, quam libet proferre.

*S. 5. Sententia à Ferdinando II. gloriosissimæ memoriæ,
eiusque Consilio Aulico lata.*

Lotharius Archiepiscopus Treurenſis Anno MDCXIII. apud Mathiam Cæsarem querelas deposuit, quod Abbas S. Maximini eiusque subditi exactiones siue subsidia in Imperio concessa soluere & præstare ipsi detrectarent, cum tamen allegaret dictum Abbatem & Subditos ipsi immediate subiectos, & se in possessione Juris eos collectandi esse assereret. Mandatum itaque à Cæsarea Maieſtate obtinuit, quod sub N. 85. videre est.

Contra quod Abbas pro tempore S. Maximini Responsiones & exceptiones suas eorum Consilio Aulico Cæsareo proposuit; Archiepiscopo è contra suas Replicas proponente, auditisque partibus ac omnibus earum documentis, rationibus ac firmamentis, ventilatis, examinatis, discussis per tredecim rotos annos, sententia demum Anno MDCXXVI. solemniter, & cum omnibus formalitatibus lata est, qua mandatum prædictum cassatum fuit, annullatum & decretum in ordinario possessorio, vt tam Archiepiscopus, quam eius Successores ab exigendis eiusmodi collectis deinceps abſtineret, & desuper idoneam & sufficientem cautionem præstaret. Abbas verò contributiones & indictiones immediate Imperio solueret, sicuti alij immediati Imperij Status, sententiam hic ob oculos tibi ponere visum est.

In sachen weylandt Herrn Lotharij an jetzt Herrn Philips Christoffen Erzbischowen zu Trier/ des Heiligen Reichs Churfürsten/ 2c. an einem/ gegen vnd wieder auch weylandt Herrn Reinerum jetzt Herrn Agritium Abbtten des Gotteshaus S. Maximin/ vnd desselben Gotteshaus Vnderthanen am anderen die geklagte außstehende vnd künfftige Landsteuren vnnnd darüber außgewurcktes Mandatum sine clausula betreffende/ ist allen fürbringen nach zurecht erkent/ das solches Mandatum zu Cassiren vnd außzuheben/ inmassen es auch hiemit Cassirt vnd vffgehoben würdt. So dann ist weitthers